

## 1742. MENSE FEBRUARIO. ZAGRABIAE.

*Articulus Generalis, A. 1742. 12. et sequentibus Mensis Februarii diebus,  
Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem, Zagrabiae pro die 12. et sequentibus Mensis Februarii 1742, ex edicto et sub praesidio Illustrissimi et Reverendissimi Domini Georgii Branyugh, Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopi Zagrabiensis, Officiique Banatus Locumtenentis, celebrata Congregatione conclusi.

(*Caeteris exmissis.*)

## Articulus Decimus Quartus.

*De correspondentia cum Regimine interioris Austriae.*

Postquam exhibitum per Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Praesulem et Locumtenentem, sibi sonans et directum, et de dato Viennae Austriae die 22. Mensis Januarii emanatum, atque in occurrentibus militaribus negotiis cum Instantiis Bellicis, in rebus vero sanitatis cum Regimine Interioris Austriae, mutuam de tempore in tempus corespondentiam atque cointelligentiam fovere praecipiens Benignum Mandatum Regium perlectum, atque per nos in subditali devotione nostra acceptatum fuisse, Domini omnino Status et Ordines justum et conveniens esse censuerunt, ut cum praefato interioris Austriae consilio Bellico et Regimine in rebus similibus corespondentia pure et praecise fo- veatur, dependentia vero, aut ejusdem definitivae fieri solitae insinuationes nullatenus et in minimo quid acceptentur; et quia idem Consilium Bellicum interioris Austriae, suprascriptae suorum millium peditum, et quadringentorum Equitum Militiae, ex littore Savi, sive inferiori Sclavoniae profisciscentis, normam itinera- riā, per Suam Sacratissimam Regiam Majestatem, ex Jurisdictione Regni, per Generalatum Carlostadiensem directam immutare, eandemque Militiam integraliter per Jurisdictionem Regni inviari nihil pensi duxisset, atque ex hinc non tantum Regnicolis, (quos ejusmodi transena non tangebat) veluti ad in praevisam ejus- cemodi transenam imparatis, plura damna et excessus, verum etiam ipsius ser- viti Regii remoram ex ejuscemodi defectu causasset, id ipsum Suae Majestati Sacratissimae repraesentandum humillime veniet, quatenus amodo et imposterum dictum Consilium, et Regimen interioris Austriae, a similibus abstineat, et semet ad clementissimas dispositiones Regias immutandas imittere nullatenus praesumat.

Originale in Archivio Regni Croatiae.